

Bogdan Jankowski

Schola "Historiae formarum" quid de resuscitationibus evangelicis sentiat : exponitur atque examinatur

Collectanea Theologica 21/1, 77-106

1949

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

BOGDAN JANKOWSKI

SCHOLA HISTORIAE FORMARUM QUID DE RESUSCITA-
TIONIBUS EVANGELICIS SENTIAT

exponitur atque examinatur.

SUMMARIUM:

Pars prior: Placita Scholae HF exponuntur.

Quid teneat Schola de miraculis evangelicis generatim: quid sentiat M. DIBELIUS, quid R. BULTMANN; Quid teneat Schola de singulis resuscitationibus evangelicis: allegata serie „analogiarum“ (resuscitationes a rabbinis patratae necnon in litteris Graecis descriptae) exponuntur adnotationes Scholae de singulis resuscitationibus factae, i. e.: de iuvene oppidi Nain, de filia archisynagogi, de Lazaro.

Pars altera: Placita Scholae HF examinantur.

Quid valeant Scholae principia: propria utriusque auctoris et deinde communia (originis Evangeliorum theoria, methodus investigandi, ratio arguendi ex analogiis desumpta). De applicatione principiorum Scholae in resuscitationibus tractandis: utrum adsint vera parallela, quod attinet argumentum, necne — in rabbinicis et in Graecis narrationibus, de momento „topicae“; de differentiis. De ceteris adnotationibus.

BIBLIOGRAPHIA

A. Fontes Antiqui

Evangelia citantur secundum editionem:

NOVUM TESTAMENTUM GRAECE ET LATINE, ed. A. MERK, Romae⁵
1944.

Rabbinica citantur secundum opera:

H. STRACK — P. BILLERBECK et P. FIEBIG (cf. infra).

Scripta Graeca et Latina:

- APULEIUS, *Florida*, rec. R. HELM, Lipsiae 1910.
 ARISTOPHANES, *Comoediae*, ed Th. BERGK, Lipsiae² 1907, vol. II.
 ARTEMIDORUS (DALDIANUS), *Onirocriticon libri V*, rec. R. HERCHER, Lipsiae 1864.
 DIOGENES LAERTIOS, *De clarorum philosophorum vitis*, ed. C. G. COBET, Parisiis (1929).
 IAMBlichI fragmenta prout continentur in PHOTII *Myriobiblio sive Bibliotheca*, MG 103.
 LUCIANUS, *Alexander*, ed. C. JACOBITZ, Lipsiae 1907, 2, 115—43, *Philopseustes*, ed. C. JACOBITZ, Lipsiae 1904, 3, 97—121.
 PHILOSTRATUS, *The Life of Apollonius of Tyana...* by F. C. CONYBEARE, London — New York 1927, vol. I.
 PLINIUS SECUNDUS (MAIOR), *Naturalis historiae libri XXXVII*, rec. L. IANUS et C. MAYHOFF, Lipsiae 1989—1906, 6 vol.
 SYLLOGE INSCRIPTIONUM GRAECARUM, ed. W. DITTENBERGER, Leipzig³ 1920, III vol.

B. Opera Fundamentalialia

- DIETERICH A., *Abraxas*, Leipzig 1891.
 FEDER A., *Lehrbuch der geschichtlichen Methode*, Regensburg 1924.
 PINARD DE LA BOULLAYE H., *Etude comparée des religions*, Paris³ 1929, 2 vol.
 SICKENBERGER J., *Die Geschichte des Neuen Testaments*, Bonn⁴ 1934.
 STRACK H. — BILLERBECK P., *Kommentar zum Neuen Testament*, München 1922—28, 5 vol., (siglum: STRACK).

C. Opera Generalialia

- ALLO E. — B., *Le scandale de Jésus*, Paris 1927.
 BELL G. K. A. — DEISSMANN A., *Mysterium Christi*, Berlin 1931.
 BRAUN F. — M., *Où en est le problème de Jésus?* Bruxelles 1932.
 BUECHSEL Fr., *Die Hauptfragen der Synoptikerkritik*, Gütersloh 1939.
 DOBSCHUETZ E. v., *Zur Erzählerkunst des Markus*, ZNW 27 (1928) 193—6.
 FILSON Fl. V., *The Christian Teacher in the First Century*, *Journal of Biblical Literature* 60 (1941) 317—28.
 GOGUEL M., *Critique et histoire*, RHPHr 8 (1928) 113—48.
Jésus et les origines chrétiennes, Paris 1932.
 GRANDMAISON L. de, *Jésus-Christ*, Paris⁶ 1928, 2 vol.
 GUARDUCCI M., *Epidauro*, *Enciclopedia Italiana* 14, 58—60.
 JOUSSE M., *Le style oral rythmique et mnémotechnique chez les Verbo-Moteurs*, Paris 1925.

- KITTEL G., *Jesus und die Rabbinen*, Berlin-Lichterfelde 1914.
 RANFT J., *Der Ursprung des katholischen Traditionsprinzips*, Würzburg 1931.
 REITZENSTEIN R., *Hellenistische Wundererzählungen*, Leipzig 1906.
 ROHDE E., *Der griechische Roman und seine Vorläufer*, Leipzig³ 1914.
 SCHLATTER A., *Das Wunder in der Synagoge*, Gütersloh 1912.
 SCHLINGENSIEPEN H., *Die Wunder des Neuen Testaments*, Gütersloh 1933.
 WEINREICH O., *Antike Heilungswunder*, Giessen 1909.
 WELLHAUSEN J., *Das Evangelium Marci*, Berlin² 1909.

D. Opera Specialia

- ALBERTZ M., *Die synoptischen Streitgespräche*, Berlin 1921.
 BARNES W. E., *Gospelcriticism and Formcriticism*, Edinburgh 1936.
 BENOIT P., *Réflexions sur la „Formgeschichtliche Methode“*, Revue Biblique 53 (1946) 481—512.
 BERTRAM G., *Die Leidensgeschichte Jesu und der Christus-Kult*, Göttingen 1922.
 BRAUN F.-M., *Ecole de la Formgeschichte*, DB Suppl., 3, 312—17.
Une nouvelle école d'exégèse, Vie Intellectuelle 12 (1931) 180—99.
 BULTMANN R., *Die Erforschung der synoptischen Evangelien*, Giessen² 1930.
Evangelien, gattungsgeschichtlich (formgeschichtlich), RGG² 2, 418—22.
Das Evangelium des Johannes, Göttingen 1941 (Krit.-exeg. Komm. üb. das N. T., 2¹⁰).
Die Geschichte der synoptischen Tradition, Göttingen² 1931, (siglum: GST).
Jesus, Berlin 1936.
 CASEY R. P., *Some Remarks on Formgeschichtliche Methode*, art. in opere „Quantulacumque“ comp. in hon. Kissopp Lake, London (1937).
 CERFAUX L., „L'histoire de la tradition synoptique“ d'après Rudolf Bultmann, RHE 28 (1932) 582—94.
 CULLMANN O., *Les récentes études sur la formation de la tradition évangélique*, RHPHr 5 (1925) 459—77; 564—79.
 DIBELIUS M., *Die Botschaft von Jesus Christus*, Tübingen 1935.
Die Formgeschichte des Evangeliums, Tübingen² 1933 (siglum: FGE).
Zur Formgeschichte der Evangelien. Theol. Rundschau N. F. 1 (1929) 185—216.
From Tradition to Gospel, New York 1935.
Jesus, Berlin 1939.

- Rabbinische und evangelische Erzählungen*, Theol. Blätter 11 (1932) 1—12.
- Structure and literary Character of the Gospels*, Harvard Theological Review 20 (1927) 151—70.
- FASCHER E., *Die Formgeschichtliche Methode*, Giessen 1924 (Beih. ZNW 2).
- FIEBIG P., *Antike Wundergeschichten zum Studium der Wunder des N. T.*, Bonn 1911 (Kleine Texte 79).
- Jüdische Wundergeschichten des nt. Zeitalters unter besond. Berücksichtigung ihrer Verhältnisse zum N. T.*, Tübingen 1911.
- Rabbinische Wundergeschichten des nt. Zeitalters*, Bonn 1911 (Kleine Texte 78).
- Die Wunder Jesu und die Wunder der Rabbinen*, Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie N. F. 19 (1912) 158—79.
- FLORIT D. E., *La „storia delle forme“ nei Vangeli*, Bibl 14 (1933) 212—48.
- GOGUEL M., *Une nouvelle école de critique évangélique*, RHR 94 (1926) 115—60.
- GROBEL K., *Formgeschichte und synoptische Quellenanalyse*, Göttingen 1937.
- KOEHLER L., *Das formgeschichtliche Problem des N. T.*, Tübingen 1927.
- Mc GINLEY L. J., *Form-criticism of the Synoptic Healing Narratives*, Woodstock 1944.
- Historia Formarum quoad miracula sanationis in Synopticis*, VD 19 (1939) 234—40; 279—83.
- MEINERTZ M., *Formgeschichtliche Methode*, Lexicon für Theologie und Kirche 4, 64.
- PEIRCE F. X., *Form-criticism of the Synoptics*, The Ecclesiastical Review 93 (1935—2) 85—97.
- PERELS O., *Die Wunderüberlieferung der Synoptiker in ihrer Verhältnis zur Wortüberlieferung*, Stuttgart—Berlin 1934.
- RIDEAU E., *En marge de la question synoptique: le parallélisme verbal dans les récits de St. Mc et de St. Mt*, Bibl 15 (1934) 492—502.
- SCHICK E., *Formgeschichte und Synoptikerexegese*, Münster i/W., 1940 (NTA 18, 2. 3).
- SCHMIDT K. L., *Formgeschichte in der neueren Theologie*, RGG² 2 638—40.
- Fondements, but, limites de la méthode dite de la „Formgeschichte“ appliquée aux évangiles*, RHPHr 18 (1938) 1—26.
- Jesus Christus*, RGG³ 3, 110—151.
- Der Rahmen der Geschichte Jesu*, Berlin 1919.
- Die Stellung der Evangelien in der allgemeinen Literaturgeschichte*, Göttingen 1923.
- TAYLOR V., *The Formation of the Gospel Tradition*, London 1933.

SIGLA PERIODICORUM et COMPENDIA OPERUM
 quae frequentius citantur

Bibl	Biblica, Roma.
DB	<i>Dictionnaire de la Bible</i> ed. F. VIGOUROUX, Suppl. ed. L. PIROT.
FGE	M. DIBELIUS, <i>Die Formgeschichte des Evangeliums</i> , Tübingen ² 1933.
GST	R. BULTMANN, <i>Die Geschichte der synoptischen Tradition</i> , Göttingen ² 1931.
NTA	Neutestamentliche Abhandlungen, Münster i/W.
PAULY-WISSOWA	<i>Realenzyklopädie der classischen Altertumswissenschaft</i> .
RB	Revue Biblique, Paris.
RGG	<i>Die Religion in Geschichte und Gegenwart</i> , Tübingen ² 1927—1932.
RHE	Revue d'Histoire Ecclésiastique, Louvain.
RHPHR	Revue d'Histoire et de Philosophie Religieuse, Strasbourg.
RHR	Revue d'Histoire des religions, Paris.
STRACK	H. STRACK — P. BILLERBECK, <i>Kommentar zum Neuen Testament</i> , München 1922—28.
ThW	<i>Theologisches Wörterbuch zum N. T.</i> , hrsg. von G. KITTEL, Stuttgart 1933—42.
VD	Verbum Domini, Roma.
ZNW	Zeitschrift für die neutestamentliche Wissenschaft, Giessen.

Viginti fere annis abhinc multum in Europa disputabatur de miraculis generatim, praecipue vero movebatur quaestio, utrum reapse miracula fieri possint et quonam sensu Iesu Christi miracula consideranda sint divinae Eius missionis criteria. At rarior occurrebat sermo de historica fide miraculorum Evangelii neque deerant viri docti, qui suaderent, ut eius modi investigationes tamquam inutiles omnino desererentur, utpote quae ex fontibus vitae Iesu, qui praesto sunt nobis, certo solidos fructus ferre non possent¹⁾, Opiniones id genus agnosticis redolen-

¹⁾ „...est-il possible, dans cet ordre de choses, d'avoir sur un seul point une certitude historique même approximative? Ensuite, supposé même qu'on puisse prouver qu'une portion plus ou moins grande de textes remonte à des récits des témoins oculaires qui ont voulu relater exactement ce qui s'est passé en réalité? Aussi cette question doit-elle être

tes praesertim ab asseclis Scholae, quae „Historiae Formarum“ nuncupatur ¹⁾, late spargebantur atque etiam his temporibus placent permultis.

De qua Schola multi multa iam generatim scripserunt. Nihilominus haud inutile erit in peculiaria inquirere et in paucis exemplis rem penitus investigare atque recognoscere, utrum consideratis secundum Scholae principia solis formis litterariis narrationum liceat concludere quidquam de earum fide historica necne. Quod quidem faciemus exponentes atque exminantes ea, quae tenet Schola illa de tribus miraculis evangelicis, nempe de mortuis a Christo ad vitam revocatis ²⁾.

Quo melius peculiaria Scholae placita, quae resuscitationes evangelicas attinent, intellegantur, satius est — ut opinamur — praemittere paulo fusiorem expositionem eorum, quae Schola sentit generatim de Christi miraculis evangelicis. Sed operae pretium est: hoc enim modo tota arguendi ratio eiusque momentum facilius patebunt.

PARS PRIOR

PLACITA SCHOLAE HISTORIAE FORMARUM EXPONUNTUR

CAPUT I.

QUID TENEAT SCHOLA DE MIRACULIS EVANGELICIS GENERATIM

Quamquam asseclae Scholae Historiae Formarum scopum sibi proposuerunt in formas dumtaxat litterarias traditionis evangelicae inquirere, nihilominus iure meritoque statui potest quae-

tenue en suspens. Pour édifier une dogmatique du miracle, un fondement historique sûr nous fait absolument défaut... « ce qui s'est passé » te « comment les choses se sont-elles passées? » ceci, au fond, est un mystère“. A. FRIDRICHSEN, Le problème du miracle dans le christianisme primitif, Strasbourg 1925, 10 sq.

¹⁾ germanice: die formgeschichtliche Schule.

²⁾ De quibus eventibus opus aliquod peculiare hucusque, in quantum scio, deest omnino. Haec dissertatio prodromus esto resuscitationum monographiae, quam praeparo.

stio in titulo huius capituli expressa, quae non formam tangit, sed ipsum argumentum. Nam pro narrationibus evangelicis, quas thaumatologicas liceat nobis appellare (hoc enim modo vocem germanicam „Wundergeschichte“ reddimus) uterque Scholae magister, scilicet M. Dibelius et R. Bultmann, speciales formas litterarias invenit. Ad ea igitur, quae uterque de miraculis Evangeliorum sentiat, transeamus oportet.

Art. 1. Quid sentiat de miraculis M. Dibelius.

Martinus Dibelius, principium a H. Gunkel propositum collocandi singula genera litteraria in eorum „sedevitali“ (Sitz im Leben) observare cupiens, hoc modo concipit primitivam traditionem oralem, quae postea in Evangeliiis canonicis est conscripta ¹⁾.

Traditio evangelica incipitur a „ministris sermonis“ (Lc 1, 2), qui immediate a Iesu Christo acceperunt missionem praedicandi „bonum nuntium“. Cuius praedicationis primitivae argumentum principale fuit passio, mors, resurrectio Salvatoris; schema vero sermonum has complectebatur partes: 1) praeconium seu κήρυγμα de Christo paucis brevibusque constans propositionibus (cuius specimen videtur esse 1 Cor 15, 3—5), 2) probationem Christi missionis divinae nixam verbis veteris Testamenti, 3) exhortationes aptas ad excitandam paenitentiam atque conversionem. Sermones id genus exstant in Actibus Apostolorum.

Cum haec praedicatio redemptionem factam praecipue annuntiaret, patet narrationes de Christi passione (Leidengeschichten) longe maximi tunc temporis fuisse momenti. Cetera vero facta vitae Christi non item. Si praedicabantur, hoc fiebat dumtaxat illustrandi gratia: citabantur enim ut exempla tantum, obiter, deficiente adhuc peculiari studio biographico apud fideles. Has brevissimas relationes de Christi factis vel dictis, ad instar exemplorum tantum hic inde in praedicatione primitiva allegatas, paradigma tum nomine designavit Dibelius.

Aliis omnino legibus litterariae evolutionis subiacebat peculiaris traditio, complectens ad instar traditionis „halakhicae“

¹⁾ Cf. FGE 8—34.

Iudaeorum sola Christi dicta, quae sapientialia nuncupari possunt, temporibus vero illis τῶν λογίων nomine veniebant apud Christianos (Weisheitsworte).

Tria igitur genera tres peculiare formas nacta sunt in traditione, videlicet historias Passionis, paradigmata, dicta Christi sapientialia, quae cum praedicatione primitiva discipulorum Iesu quam intime conecuntur.

Sed brevi tempore in primitivis Christianorum communitatibus praeter „ministros sermonis“, praedicando incumbentes, alii exstiterunt a prioribus distincti *narratores* (Erzähler). Qui naturali omnino desiderio melius cognoscendi vitam terrestrem Christi satisfaciens, novo generi litterario dederunt initium. Quod genus *Dibelius* appellavit *novellam*, usus termino in litterarum historia perquam noto. In novellis componendis iam non agebatur de doctrina exemplo illustranda, sicut in paradigmatis, sed earum auctores in id praecipuo studio incumbabant, ut singulos vitae Iesu eventus modo quam maxime vivido depingerent. Quam ob rem novellae scatent permultis rebus minimi momenti pro idea principali Evangelii, ideoque prae se ferunt gustum quandam ad fabulandum, mutuos sumunt a litteris profanis „locos“, qui dicuntur, „communes“ τόποι). Novellarum numero adscibit *Dibelius* longe maiorem partem miraculorum, tribus resuscitationibus evangelicis hic inclusis ¹⁾.

Ceteras vero formas, quas repperit ille auctor in Evangeliiis, nempe *mythos*, *legendas*, *paraeneses*, pro nostro scopo considerandi possumus hic praetermittere, quandoquidem ad nos novellae tantum pertineant utpote generis thaumatologici forma peculiaris. Ideo novellis melius cognoscendis paulo diutius immoremur oportet.

Dibelius libenter novellas cum paradigmatis comparat, ut exinde de earum fide historica concludat. Cuius comparationis haec sunt puncta praecipua:

¹⁾ Cf. FGE 66—100.

1. *A m p l i t u d i n e* praestant novellae. Nam earum auctores produnt non tantum narrandi artem, sed etiam in fabulando singularem prorsus complacentiam (Lust zum Fabulieren¹⁾). Exemplo sit, quo modo describatur Iesus ingrediens in domicilium archisynagogi (Mc 5, 37—40): quanta — ex auctoris nostri opinione — narrantur minoris momenti atque etiam minime scitu necessaria! Quae quidem verborum copia non eo tendit, ut audientem progredi faciat in vita interiore, sed nascitur potius e studio omnino profano vivide pingendi res gestas et hoc modo delectandi curiosum auditorem vel lectorem.

2. *O b i e c t u m* principale paradigmatum erant verba Iesu docentis, dum in novellis frustra quaereres dicta maioris ponderis, siquidem in iis non Iesus Magister, sed *T h a u m a t u r g u s* exhiberetur admirandus. Unicum ergo elementum, quod in novellis ad religionem spectat, est peculiaris theophania seu manifestatio divinae omnipotentiae ope miraculi facta. Quam ob rem Christianum genus thaumatologicum est simile quid *e p i p h a n i i s* deorum in litteris paganis (Epiphaniegeschichten).

3. Conclusio paradigmatum animis aedificandis destinatur, dum novellarum conclusiones in eo versantur, ut quam optime miraculi veritatem ad oculos demonstrent.

4. *L o c i c o m m u n e s* (τόποι) narrandi desunt in paradigmatis omnino, semper adsunt in novellis. Ad quam rationem scribendi, quam deinde brevitatis gratia *t o p i c a m* appellabimus, communem cum litteris profanis Graecorum, ubi praesertim enarrantur sanationes miraculosae, haec pertinent elementa: a) diuturni morbi historia, b) dubium turbae circumstantis saepe risu manifestatum, c) quod resuscitationes specialiter attinet — funeris descriptio peculiaris, d) ritus quidam sanandi (gesta et verba), e) testimonium de realitate effectus miraculosi, quod conclusionem narrationis efformat.

Quas topicas analogias videt *D i b e l i u s* in narrationibus Graecis de iis sanationibus miraculosis, quae uti factae in

¹⁾ Cf. *ibid.*, 67.

sanctuariis divinitatum, praesertim Epidauri, tum ab ipsis infirmis sanatis tum a templi sacerdotibus conscribebantur. Illarum relationum argumentum his punctis solebat constare: a) descriptio morbi, b) status morbi excludens naturalem spem sanandi, c) interventus divini momentum, d) sanationis effectus, e) eius veritas. Ex his exemplis relationum duo colligit *D i b e l i u s*: probabile fundamentum historicum, saltem quod attinet nonnulla facta ibi descripta, et manifestum studium „novellisticum“ seu rem pulchre exhibendi.

Haec est igitur similitudo hellenisticas novellas inter et evangelicas. Utrimque adest vetusta traditio de morbis sanatis, cuius formae diversae, elapso quodam tempore, a redactoribus „ex officio“ ad certam stili unitatem sunt revocatae. Sed idem auctor noster fatetur praeter topicam non ita multa inesse communia narrationibus paganis et evangelicis totamque comparisonem a se institutam esse non eo fine, ut res diversae tamquam simillimae exhiberentur, sed potius ut traditionis sese evolventis singula stadia ope exempli analogici melius elucidarentur¹⁾.

Ex his, quae hactenus exposita sunt, iam facile auctoris iudicium de novellarum fide historica, quae maximi est pro nobis momenti, erui potest. Ut enim quaestio solvatur, sufficit narrationes mente collocare in earum „sede vitali“. Quod facere conabimur mentem auctoris secuti. Ecce tribus modis oriri poterat novella²⁾:

1. Oriebatur brevibus paradigmatis sese evolventibus paulatim in formam longioris narrationis, quod fieri solebat additis elementis propriis topicae thaumatologicae vel adnexis partibus dialogicis.

2. Augebatur paradigma accedentibus singulis elementis, quae „motivorum“ nomine persaepe veniunt apud Scholae assclas, oriundis ex litteris paganis. Quae motiva ad sensum Christianum paulo transformata inserebantur narrationi primitivae. Tale motivum adventitium *D i b e l i u s* supponit exstare v.

¹⁾ Cf. FGE 164—72.

²⁾ Cf. *ibid.*, 97—9.

gr. in narratione de Christo super undarum vertices ambulante (Mc 6, 48—50), quod provenit fortasse ex aliqua epiphania pagana, sed adiunctum est, labente tempore, paradigmata primitivo, in quo sermo erat de solo auxilio, quod Iesus discipulis periclitantibus in navicula propter procellam praestiterat.

3. Novellae integrae originis non-christianae, quae deinde Iesu Christo sunt applicatae, saltem duae sunt — iudicio nostri auctoris. Qui videt eas in descriptione exorcismi daemoniaci Geraseni (Mc 5, 1—20) et miraculi in nuptiis patrati in Cana (Ioh 2, 1—11) propter utriusque scenae indolem omnino a more evangelico, ut putat, alienam. Et suspicatur priorem tractasse olim de aliquo exorcista Iudaeo, alteram vero esse originis hellenisticae: heroem eius proinde principalem fuisse aliquem deum Graecorum, forsitan ipsum Dionysum.

„Sedes vitalis“ igitur novellarum thaumatologicarum hoc modo concipi potest. Nimis brevia atque succincta paradigmata praedicationis apostolicae non sufficiebant communitati Christianae, quae cupiebat audire de Iesu facta magnifica et portentosa, ne novus *Kyrios* minor appareret tum prophetis Veteris Testamenti tum heroibus vel semideis Graecorum tum denique magnis Iudaeorum rabbinis. Haec ergo propensio, quae speciem cuiusdam piae curiositatis efficit, causae fuit, cur in elementa historiae primitivae aliena omnino et spuria irrepererint elementa.

Quam ob rem auctoritas historica novellarum non semper est aequalis, sed dependet ab eo, quanam ex tribus viis modo expositis efformatae sint singulae. Proinde generatim loquendo fides ista historica multo minor esse dicitur, quam paradigmatum auctoritas, quorum integritati primitivae conservandae ipsa forma brevissima optimam praebuit tutelam. Neque vividi novellarum colores — secundum auctorem — comprobant earum veritatem historicam, cum soli arti narrandi debeantur, quae hoc modo loquendi satiat auditorum curiositatem. Quam ob rem novellae propter originem supra adumbratam fontis historiae dignitatem non attingunt. Nihilominus fatetur *Dibelius* singulas novellas examini esse subiiciendas, antequam de singulis sententia proferatur. Nam praesentia paradigmatis tamquam

fundamenti novellae una cum absentia motivorum e paganismo provenientium maiorem spem inveniendi quicquam reapse gestum, non fictum, inspirare solet.

Art. 2. Quid sentiat de miraculis R. B u l t m a n n.

Dum D i b e l i u s utitur deductione, i. e. ex vita et munerum functionibus communitatis primitivae illationem facit de singulis traditionis formis litterariis, R u d o l p h u s B u l t m a n n e contra modo inductivo mavult procedere seu consideratis formis quaerere propensiones, quae ipsas creaverint ¹⁾. Hoc enim modo sperat se facilius adepturum iudicium de narratorum fide historica.

Formae igitur litterariae, quas in traditione synoptica reperit, hae sunt:

- I. In traditione v e r b o r u m Christi inveniuntur
 - A) A p o p h t h e g m a t a seu dicta Christi memorabilia inserta involucrio cuidam scenico, quae subdividuntur in: 1) polemica cum didascalis et 2) biographica ²⁾.
 - B) d i c t a D o m i n i (Herrenworte) subdivisa in: 1. logia sapientialia, 2. sermones apocalypticopropheticos, 3. institutiones legislativas et sociales, 4. effata personam Christi designantia (Ich-Worte), 5. parabolas et genera similia ³⁾;
- II. in traditione vero argumenti n a r r a t i v i (Erzählungsstoffe) distinguit:
 - A) narrationes t h a u m a t o l o g i c a s (Wundergeschichten),
 - B) narrationes historicas cum legendis ⁴⁾.

Nostra interest, uti patet, solummodo priorem collectionem ultimi igeneris (II. A), scilicet narrationes thaumatologicas, considerare.

¹⁾ Cf. GST 5 sq.

²⁾ Cf. ibid., 8—73.

³⁾ Cf. ibid., 73—222.

⁴⁾ Cf. ibid., 223—346.

Contra eos Scholae, quae vocatur *L i b e r a l i s*, asseclas, qui narrationes thaumatologicas ab indole Evangelii primitivi prorsus alienas esse autumant, contendit *B u l t m a n n* genus hoc quam intime cum Evangelii medulla conecti. Miracula enim semper ut *I e s u* miracula in Evangeliiis proponuntur et narrandi ea finis praecipuus neque biographicus est neque psychologicus, sed apologeticus, cum agatur de eo, ut Iesu dignitas messianica atque etiam divina hoc modo demonstretur. Fides enim, quae ante miraculum patratum exigitur a Iesu ad instar tributi cuiusdam, quod prophetae debetur, semper necesse est agnoscat et exprimat, quis sit ipse Iesus. Ceterae vero facti circumstantiae, ut sanatorum gratitudo aut sortes ipsorum posteriores, saepe saepius simpliciter praetermittuntur¹⁾.

Deinde hic auctor aperte fatetur primitivam Christianorum communitatem credidisse Iesum re vera supernaturalia patrasse miracula necnon hanc fidem fundatam esse in quibusdam rebus restis, in talibus scilicet factis, quae in oculis fidelium miraculorum indolem prae se ferebant²⁾.

Quibus tamen omnibus ultro concessis, *B u l t m a n n* minime vult veritatem id genus narrationum agnoscere, quas e contra sceptice tractat et inculcat necessitatem quaerendi earum originem extram evangelicam traditionem. En verba ipsius: „Narrationes thaumatologicae quo minus *u t i t a l e s* relationes sunt historicae, eo magis interrogandum est, quonam modo in traditionem evangelicam intraverint. Etiam si nonnullae sanationes miraculosae facta quaedam historica pro fundamento habuerint, nihilominus ipsa narrationum formatio a traditione est elaborata“³⁾.

¹⁾ Cf. *ibid.*, 233—5.

²⁾ Cf. *R. B u l t m a n n*, *Jesus*, Berlin 1936, 159.

³⁾ „Je weniger die Wundergeschichten als solche historische Berichte sind, desto mehr ist zur fragen, wie sie in die evangelische Tradition hineingekommen sind. Auch wenn einigen Heilungswundern historische Vorgänge zu grunde liegen, so ist doch ihre Formung Arbeit der Tradition gewesen.“ *GST* 244.

Quod motivorum originem attinet, alia ex eis sponte a fidelibus sunt creata, alia vero mutua desumpta et quidem tum ex popularibus narrationibus profanis tum ex Graecorum et Iudaeorum scriptis thaumatologicis. Cui opinioni illustrandae proponit **B u l t m a n n** in suo opere principali seriem narrationum thaumatologicarum (mox nobis examinandam), quam ex fontibus rabbinicis et litteris Graecis concinnavit ¹⁾. Utrouque fonte comparato concludit tam multa esse similia, seu ut ait: parallela inter narrationes thaumatologicas Evangeliorum et hellenisticas, ut magnam partem in fertili solo hellenismi Christiani crevisse sunt censendae ²⁾.

Quod eo sensu intellegi debet: synopticam traditionem Palaestinensem, quae facta vitae Iesu rettulerat, mediantibus Iudaeo-christianis et simul Hellenistis, coniunctam esse in communitatibus Paulinis cum **m y t h o** Christi (Christusmythos), ab hoc apostolo praecipue elaborato ³⁾. Et ita factum est; ut Palaestinensis imago Iesu, praedicatoris eschatologici, praeconis salutis, magistri sapientiae, quam exhibet in traditione synoptica fons **Q** (= „Quelle“), paulatim transformata sit in Marcanam primum, deinde in Iohannaeam imaginem Christi — τοῦ θεοῦ ἀνδρώπου, denique Filii Dei ⁴⁾.

Elaboratio ipsa argumenti in tradendo in eo consistebat, quod labente tempore singula motiva vagarentur huc illuc, exorirentur species variantes, cresceret pedetemptim elementum portentosum ⁵⁾.

Quae cum ita sint, permultae narrationes thaumatologicae non sunt nisi narrationes populares, saepe Christianismo antiquiores, postea ad Iesu personam applicatae, quae ortae sunt in eadem — ut ait **B u l t m a n n** — atmosphaera atque earum parallela pagana ⁶⁾, proindeque plus minusve expertes sunt veri-

¹⁾ Cf. *ibid.*, 247—53.

²⁾ Cf. *ibid.*, 255 sq.

³⁾ Cf. *ibid.*, 329—35.

⁴⁾ Cf. *ibid.*, 256.

⁵⁾ Cf. *ibid.*, 241.

⁶⁾ Cf. *ibid.*, 246.

tatis historicae. Nemo non videt placita ista simillima esse sententiis Scholae, quae dicitur *Historiae Religionis Comparatae*.

Obvia est igitur ratio, cur auctor noster de fide historica narrationum thaumatologicarum, quae in Evangeliiis occurrunt, fere omnino desperaverit. Inter nos enim et eventus vitae Iesu (si quae sint reapse, nam multa imaginatio vulgi sponte creavit) obstaculum adesse impenetrabile, videlicet anonymam atque amorpham molem fidelium primi saeculi — communitatem creatricem. Scepticismi huius absoluti sententia peremptoria haec est: non solum fides historica narrationum thaumatologicarum, sed ipsius Iesu existentia vix potest salvari ¹⁾.

CAPUT II.

QUID TENEAT SCHOLA DE SINGULIS RESUSCITATIONIBUS EVANGELICIS

Uti iam vidimus, uterque Scholae magister magni putat esse momenti pro narrationibus thaumatologicis Evangeliorum recte aestimandis discutere earum parallela non-christiana, praecipue Graecae originis, deinde minoris ponderis — rabbinicae. Quam ob rem antequam perveniatur ad exponenda ea, quae de singulis resuscitationibus adnotaverat Schola, hoc loco prius:

Art. 1. Analogiarum, quae dicuntur, series allegatur.

Quae series constat iis narrationibus antiquorum, quas citarunt Scholae fautores, addita a me illa, quae hac paragrapho, n-ro 4 est collocata.

1. *Opinio de potestate resuscitandi, quae competat rabbinis.*

(Midrašim, M^ekhilta, Wayehi b^ešallah ²⁾).

Et unde hoc (i. e. de quo loco S. Scripturae sumpsit), quod reverentia erga rabbinum est sicut reverentia erga caelum

¹⁾ Cf. R. Bultmann, *Jesus*, op. cit., 14—7.

²⁾ Cf. P. Fiebig, *Jüdische Wundergeschichten des n. t. Zeitalters*, Tübingen 1911, 36 (versio Germanica).

(= Deum)? Dictum est enim (Num 11, 28): „Et respondit Iosue, filius Nun, minister Moysis ab abulescentia sua: Domine mi, Moyses, dele eos!“ (Quod significat) sicut Deus delet (= potest delere, si vult), ita et tu eos dele. Secundum quod habes de Giezi, cui dixit Elisaeus (4 Rg 4, 29): „Praecinge lumbos et sume baculum meum in manum tuam“. Tunc coepit inniti baculo eius et properare. Et dixerunt illi: „Quo tu properas, Giezi?“ Et dixit illis: „Vivificare mortuum (vado)“. Et dixerunt: „Num tu quidem potes mortuum vivificare? Nonne Yahweh est, qui occidit et vivere facit?“ Et dixit ad illos: „Et magister meus (Rabbi) occidit et vivificat“.

2) Rabbi Šim'on ben Halaphta (?) resuscitat servum „Antonini“ Caesaris.

(M i d r a š i m, R a b b a, Lv R 10, 111^{d 1})

„Tolle Aaron cum filiis eius“ (Lv 8, 2).

Idem significat etiam:

„Erue eos, qui ducuntur ad mortem, et eos qui trahuntur ad interitum liberare ne cessaveris“ (Prov 24, 11).

Antoninus venit ad Rabbinum et invenit eum sedentem eiusque discipulos coram eo. Antoninus dixit ad eum: „Suntne isti, de quibus tam gloriosa narras?“ Respondit: „Utique: minimus eorum potest mortuos resuscitare“. Post paucos dies unus Antonini servus aegrotavit usque ad mortem. Antoninus misit ad Rabbinum dicens: „Mitte mihi unum ex discipulis tuis, ut mortuum hunc rursus mihi faciat vivum!“ Qui misit illi unum ex discipulis suis. Dicitur a nonnullis Rabbi Šim'on ben Halaphta fuisse. Ille abiit et invenit servum prostratum. Et dixit illi: „Cur tu quidem iaces prostratus, dum dominus tuus stat (erectus)?!“ Et statim (servus) motus est et surrexit.

3) Servus ab „Antonino“ Caesare necatus a rabbino resuscitatur.

(b' A b o d a Z a r a, 10 b²).

¹) Cf. STRACK, I, 560: versio Germanica.

²) Cf. ibidem. — Gallicam vero textuum rabbinicorum paraphrasim cf. apud. L. de Grandmison, Jésus-Christ, Paris^o 1928, 2, 467—9.

Antoninus habuit subterraneam cryptoporticum, quae domum eius cum rabbini domo coniungebat. Omni die (Antoninus) sumebat secum duos sevos, quorum alterum occidebat ante portam domus rabbini, alterum ante portam suae domus. Dicebatque ad rabbinum: „Quando venio ad te, nemini volo occurrere“ (ut colloquia sua occultarentur). Quodam die apud eum invenit Rabbinum Hanina ben Hama. Tunc dixit Antoninus: „Nonne dixi tibi: Quando venio, nemo apud te inveniatur?“ Respondit Rabbi: „Hic non est filius hominis (= homo)“ (videlicet: est plus quam homo). Dixit (Antoninus): „Dic servo, qui iacet ad portam, ut surgat et huc veniat“. Rabbi Hanina ben Hama abiit et invenit eum mortuum. Tunc dixit: „Quid faciam? Si venio et dico hunc esse mortuum — non decet malum nuntiare augurium, si reliquero et abiero, videbimur parvipendere potestatem“. Imploravit igitur misericordiam pro illo et vivificavit illum et intrare fecit. Tunc dixit Antoninus: „Probe novi minimum eorum, qui sunt in vobis, vivificare mortuos; nihilominus quando venio ad te, nemo apud te inveniatur“.

4) Rabbi Johanan discipulum resuscitat e sepulcro.

(B a b a Q a m m a 117 a-b¹).

Rabbi Johanan animadvertit labia Rab Kahana esse contracta; cogitavit eum se deridere. Ideo sensibus est destitutus (prae ira) et anima (Rab Kahana) abiit in requiem (videlicet: periit acie oculorum R. Johanan). Proximo die dixit ille ad rabbinos: „An vidistis, quod fecerat Babylonius (= Rab Kahana)?“ Responderunt illi: „Est hic modus ei proprius (scil.: tenendi labia; sed non risit)“. Tunc (R. Johanan) abiit ad sepulcrum (Rab Kahana), quod vidit a serpente circumdari. Et dixit illi: „Serpens, sepens, aperi ostium, quo magister intret ad discipulum!“ Ille non aperuit (= non dedit liberum accessum). (Et dixit:) „Ut socius ad socium intret“. Non aperuit. (Rursus dixit:) „Ut discipulus ad magistrum intret“. Tunc illi aperuit. Rabbi Johanan imploravit misericordiam et vivificavit eum. Et dixit ei: „Si scivissem talem esse domini modum (scil. tenendi labia), sensibus non fuisset destitutus; nunc dominus potest ad nos re-

¹) Cf. STRACK, 2, 545.

verti“. Qui respondit illi: „Si potes implorare, ne moriar amplius, volo reverti; secus non veniam: quando praeteriit hora, praeteriit (scil. altera vice fortasse miraculum non continget)“. Resuscitavit eum igitur et sublevavit in pedes et de omnibus dubiis, quae habuerat, interrogavit eum, qui ei omnia haec explanavit.

5) Rabbah resuscitat socium, quem ebrius occiderat.

(M^egilla 7 b¹)

Dicit Raba: „Durante festo Purim obligatur homo eatenus inebriari, ut non possit amplius distinguere inter (exclamationes festivas): „Maledictus sit Aman!“ et „Benedictus sit Mardocheus!“ Rabbah et Rabbi Ze'ira simul epulabantur in festo Purim. Rabbah inebriatus est et occidit R. Ze'ira. Postridie imploravit misericordiam et rursus eum fecit vivum. Post annum dixit illi: „Veniat Dominus (= utinam fiat), quod simul in festo Purim epulabimur“. Respondit illi: „Non omni hora accidit miraculum“.

§ 2. Resuscitationes in litteris Graecis Latinisve descriptae.

1. Empedocles philosophus mulierem quandam Acragantinam resuscitasse dicitur ab Heraclide Pontico²⁾.

(Diogenes Laertios, *Vitae*, 8, 11, 167).

Heraclides enim quum enarrasset, quae sunt de femina exanimi, ut Empedocles ex eo gloriam consecutus esset, quod mulierem defunctam vivam dimisisset, ait illum sacrificium ad Pisianactis agrum perfecisse, convocatis plerisque ex amicis.

2. Antiquissimum specimen motivi congressus thaumaturgi cum funere.

(Aristophanes, *Ranae*, 170—7).

Personae huius scenae: D — Dionysos

M — Mortuus

¹⁾ Cf. STRACK, 1, 560.

²⁾ Versio latina citatur sec. editionem C. G. Cobet, Parisiis (1929).

- D.: Ecce hic mortuum quendam efferunt.
 Eia, ad te quidem loquor, ad te — mortuum:
 Homo, visne supellectilem (meam) in Orcum portare?
 M.: Quanta et qualia?
 D.: Haecine.
 M.: Dabisne duas
 drachmas stipendii?
 D.: Per Iovem, sed minus...!
 M.: De via recedite!
 D.: Maneas, admirande; si quo modo tecum paciscor.
 M.: Nisi duas drachmas pendis, ne loquaris quidem.
 D.: Sume novem obolos. M.: Vivam igitur rursus!

3. Specimen motivi sanationis miraculosae, quae fit in itinere („unterwegs“ ut solet loqui SHF):

Sostrata Epidaurum revertens sanatur ab Asclepio.

(G. D i t t e n b e r g e r, SIG 3, 1169).

Sostrata Pheraea falso (?) gravida (*(παρ|εὐήσε)*¹⁾ esse credebatur. Quae omnino in lectica iter faciens, postquam in templum intravit, dormivit. Cum nullum vidisset somnium manifestum, rursus domum asportabatur. Deinde prope Cornos visus est illi et comitantibus vir quidam magnifici aspectus occurrissé, qui sciscitans ab eis infortunia eorum, iussit deponi lecticam, in qua Sostratam ferebant. Tunc, scisso utero eius, extraxit inde permagnam copiam fermenti (?), duos videlicet lebetes. Cum uterum consuisset et mulierem sanasset, Asclepius manifestavit suam praesentiam et iussit mitti Epidaurum oblationem pro sanitate recuperata.

4. Formula magica resuscitandi.

(A. D i e t e r i c h, *Abraxas*, Leipzig 1891, 190).

Resuscitatio corporis mortui: „Adiuro te, spiritus per auras volitans: ingredi, vivifica, validum effice, resuscita potentia dei aeterni hoc corpus; et ope flammae perveniat in hunc

¹⁾ hapax legomenon lexicographiae Graecae.

locum, quia ego sum, qui patro virtute sancti dei [TH] AYTH".
Pronuntia nomen.

5. Incredibilia cuiusdam medici-thaumaturgi prodigia.
(L u c i a n u s, *Philopseustes*, 26).

Antigonus: „Ego, inquit, scio quendam post dies viginti, quam sepultus esset, resurrexisse, cum ipsi mederer et ante mortem et postquam resurrexit“. „Et quo modo, inquam, per dies viginti non est putrefactum corpus aliove modo a fame dissolutum?“.

6. De Alexandri Abonutichensis prodigiorum fama.
(L u c i a n u s, *Alexander*, 24).

Adhuc etiam quosdam in regionem longinquam mittebat rumores sparsuros inter gentes de divinatore et narraturos, quo modo praediceret futura et inveniret fugitivos furesque praedonesque demonstraret, thesauros praeciperet effodere et languentibus mederetur atque nonnullos iam mortuos suscitaret.

7. Asclepiades Prusiensis ignoto funeri occurrens servat hominem a rogo.

a) Secundum P l i n i i relationem (*Hist. nat.*, 7, 124).

Magna et Critobulo fama est extracta Philippi regis oculo sagitta et citra deformitatem oris curata orbitate luminis, summa autem A s c l e p i a d i Prusiensi, condita nova secta, spreitis legatis et pollicitationibus Mithridatis regis, reperta ratione, qua vinum aegris mederetur, relato ex funere homine, et conservato...

(*Hist. nat.*, 26, 14. 15).

„...magna auctoritate nec minore fama, cum occurrisset ignoto funeri, relato homine ab rogo atque servato, ne quis levibus momentis tantam conversionem fuisse existimet.

b) In narratione A p u l e i (*Florida*, 19).

Asclepiades ille, inter praecipuos medicorum, si unum Hippocratem excipias, ceteris princeps... cum forte in civitatem sese reciperet et rure suo suburbano rediret, aspexit in pomoeiis civitatis funus ingens locatum plurimos homines ingenti multitu-

dine, qui exsequias venerant, circumstare, omnis tristissimos et obsoletissimos vestitu. Propius accessit, utin cognosceret more ingenii (humani), quisnam esset, quoniam percontanti nemo responderat, an vero ut ipse aliquid in illo ex arte deprehenderet. Certe quidem iacenti homini ac prope deposito fatum attulit. Iam miseri illius membra omnia aromatis perspersa, iam os ipsius unguine odoro delibutum, iam eum pollinctum, iam paene (rogum) paratum contemplatus enim, diligentissime quibusdam signis animadversis, etiam atque etiam pertrectavit corpus hominis et invenit in illo vitam latentem. Confestim exclamavit vivere hominem: procul igitur faces abicerent, procul ignes amolirentur, rogum demolirentur, cenam feralem a tumulo ad mensam referrent. Murmur interea exortum; partim medico credendum dicere, partim etiam irridere medicinam. Postremo propinquus etiam hominibus invitis, quodne iam ipsi hereditatem habebant, an quod adhuc illi fidem non habebant, aegre tamen et difficulter Asclepiades impetravit brevem mortuo dilationem atque ita vispillonum manibus extortum velut ab inferis postliminio domum rettulit confestimque spiritum recreavit, confestim animam in corporis latibulis delitescentem quibusdam medicamentis provocavit.

8. Apollonius Tyanensis sponsam iamiam sepeliendam re-
vocat ad vitam.

(P h i l o s t r a t u s, *Vita Apollonii*, 4, 45).

Et illud Apollonii prodigium. Puella nuptiarum tempore mortua esse videbatur, et sponsus comitabatur feretrum plura clamitans de nuptiis non consummatis. Condolebat et Roma. Puella enim erat de familia consulari. Luctui igitur forte occurrens Apollonius: „Deponite, inquit, feretrum: ego enim faciam vos cessare a lacrimis super puellam (fusus)!“ Et simul interrogavit, quod esset nomen puellae. Et multi quidem putabant eum habiturum sermonem, quales sunt lugubres et lamenta excitantes sermones. Is autem nihil — sed postquam eam tetigit et aliquid clam dixit, puellam excitavit e morte apparenti. Et puella vocem emisit et revertit in patris domum sicut Alcestis ab Hercule vivificata. Et consanguineis puellae sibi centum

quingenta milia offerentibus praecipit haec dotis loco dari puellae. Et utrum in ea invenerit animae scintillam, quae medentes illi latuerat (dicitur enim, dum pluebat, facies eius vaporavisse), an animam exstinctam rursus concalefecerit attraxeritque — eius rei perceptio neque a me neque ab occurrentibus dici potest.

9. In *Iamblichi* fabula romanensi, quae *Babylonica* inscribitur, Chaldaeus senex puellam a morte parenti resuscitat.

(*Photius, Bibliotheca*, cod. 93, MG 103, 328 B).

Iterum fugiunt exinde et occurrunt puellae ad sepeliendum portatae et spectaculo sese immiscent. Et Chaldaeus senex adstans funus prohibet, dicens spiritum adhuc esse in puella. Et demonstratum est ita (fuisse).

Haec est series antiquarum narrationum de mortuis ad vitam revocatis necnon textuum, in quibus secundum Scholae Historiae Formarum analogica atque in Evangeliiis motiva possumus invenire.

Iam igitur ad exponenda ea, quae Schola tenet de *singulis* resuscitationibus in Evangeliiis descriptis, transeamus oportet.

Art. 2. Adnotationes Scholae de singulis resuscitationibus evangelicis factae exponuntur.

Ordinem Evangeliorum chronologicum, quod attinet seriem ipsam eventuum, secuturi, primo loco tractabimus

§ 1. De iuvene oppidi Nain,

cuius resuscitatio a solo Luca (7, 11—17) est relata.

Indole totius narrationis considerata, *Bultmann* habet eam *typum* hellenicum resuscitationis, proindeque ortam esse sat sero in ecclesiis iudaeo-hellenisticis¹⁾. Insuper autumat eam posse constituere analogon oppositum (*Gegenstück*) resuscitationis filiae archisynagogi²⁾.

¹⁾ Cf. GST 230.

²⁾ Cf. *ibid.*, 242.

De singulis autem textus Lucani versibus has possumus colligere adnotationes:

- ad v. 11: Circumstantiae loci et temporis non sunt in hac narratione elementa primitiva. Lucas enim dicendo *καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ἔτις* usus est formula frequentissima in versione Septuagintavirali, ut hoc modo innueret factum narratum non necessario accidisse hoc temporis puncto, quo inseritur in contextu Evangelii. Secundario etiam appositum est nomen oppidi *N a i n*, quod redolet iam aliquid apocryphum ¹⁾. (In quam re fulciantur ambo supposita — proh dolor! — haud invenies apud celebrem auctorem).
- ad v. 12: „Filius viduae“ fortasse dependet a Vetere Testamento, nempe a relatione de vidua Sareptana: 3 Reg 17, 17—24 ²⁾).
- ad v. 13: Iesus misericordia captus videtur esse quid proprium Lucae, cuius est affectus animi, praesertim mulierum mentem peculiari studio depingere. Versu igitur hoc utpote posterioris originis expuncto, putat *D i b e l i u s* meliorem nexum cum praecedentibus obtineri ³⁾).
- ad v. 15: verba, quae exstant in altera eius parte: *καὶ ἔδωκεν αὐτὸν τῇ μητρὶ αὐτοῦ* etiam tollenda videntur tamquam serius inserta: prae se ferunt enim motivum, quod provenit ex narratione supra citata 3 Reg 17, ubi v. 23 occurrunt eadem omnino verba (secundum textum versionis LXX).
- Ceterum simillima locutio, uno verbo mutato, rursus occurrit apud Lucam de puero daemoniaco: *καὶ ἀπέδωκεν αὐτὸν τῷ πατρὶ αὐτοῦ* (Lc 9, 42) Quibus e medio sublatis nexus logicus fit strictior et melior:

¹⁾ Cf. *ibid.*, 258.

²⁾ Cf. *ibid.*, 230.

³⁾ Cf. FGE 71.

mater enim initio tantum commemoratur, Iesus vero tangit feretrum nihil dicens.

Indolem novellae maximae propriam (echt novellistisch) prodit mentio de loquela resuscitati, quae consideratur ut signum irrefragabile vitae denuo recuperatae ¹⁾.

ad v. 16: Acclamationes turbae, locutionibus versionis LXX-viralis expressae, efformant veluti conclusionem quandam choralem totius novellae (Chorschluss). Totam narrationem eo tendit, ut contionem substituat in coetibus ad audienda gesta portentosa deorum vel heroum assuetis. Quae propensio ceterum non est frequens in traditione synoptica ²⁾.

ad v. 17: Hic versus certo provenit demum ab Evangelista ³⁾.

Quod topicam thaumatologicam attinet, haec elementa nostrae narrationis inveniuntur in tabella, quam **B u l t m a n n** exhibuit ⁴⁾, locorum communium :

1. Thaumaturgus obviam fit funeri, 2. gestum manu perficit, 3. pronuntiat verba thaumaturgica (wunderwirkende Worte), 4. effectus miraculosus statim obtinetur, 5. probatur miraculum reapse factum, 6. sanatus a thaumaturgo dimittitur, 7. circumstantes admirantur miraculum et agnoscunt eius veritatem.

Omnia haec igitur putat auctor communia esse cum Graecis narrationibus eius generis, dum ex Vetere Testamento, uti iam vidimus, duo tantum elementa desumuntur, nempe filius viduae et acclamationes turbae. Ceterum resuscitationes ab Elia et Elisaeo patratæ omnino sunt dissimiles, si spectatur ipse perficiendi modus ⁵⁾.

¹⁾ Cf. ibidem.

²⁾ Cf. ibid., 72.

³⁾ Cf. FGE 72; GST 230.

⁴⁾ Cf. GST 236—41.

⁵⁾ Cf. ibid., 245.

§ 2. De filia archisynagogi (Mt 9, 18—26; Mc 5, 21—43; Lc 8, 40—56).

D i b e l i u s hanc statuit rationem dependentiae mutuae inter synopticos scenam illam depingentes: tum Lucae tum Matthaei Evangelium dependet a Marco. Apud Matthaeum enim conspicitur studium abbreviandi narrationem, quod omittere fecit vel verbum thaumaturgicum. Deinde color — ut ita dicatur — ipsius narrationis Matthaei mirum quantum differt, sed non eodem modo percipitur ab utroque Scholae magistro. **D i b e l i u s** enim censet Matthaeum minus esse profanum in narrando ideoque magis spiritualem; dum **B u l t m a n n** in Marco potius Graecum, in Matthaeo vero iudaeo-christianum apprehendit colorem ¹⁾. Apud Lucam observatur vestigium supplemi narrationem rebus particularibus, quae propensio „individualisticae“ nomine venit apud Scholae fautores; nempe in 8, 42 prostat notitia nova filiam archisynagogi fuisse unicam ²⁾.

Ad textum igitur Marcanum utpote — ex opinione Scholae — omnium antiquissimum referuntur omnes adnotationes, quas allegamus.

Imprimis a Scholae ducibus instituitur quaestio, utrum nexus eventuum, qui intercedit sanationem haemorrhosae inter et filiae Iairi resuscitationem, ad vetustissimum traditionis stratum pertineat necne. Synoptici unanimi consensu describunt seriem factorum hoc modo; archisynagogus rogat Iesum, ut opem filiae laturus veniat; quo annuente, omnes iter faciunt a turbis compressi; durante itinere mulier sanguinis fluxum patiens appropinquat et sanatur; denique Iesus intrat domum Iairi et mortuum excitat ad vitam. Hic utriusque miraculi nexus utrique viro docto ³⁾ videtur esse antemarcanus, sed **B u l t m a n n** censet nexum hunc a quodam anonymo auctore olim arte esse procuratum, qui duas separatas hucusque narrationes thaumatologicas apte contexuit, quo melius auditores vel lectores sen-

¹⁾ Cf. FGE 220; GST 228.

²⁾ Cf. GST 340.

³⁾ Cf. FGE 220; GST 228 sq.

tirent inter patris petitionem et nuntium mortis filiae intercessisse quoddam tempus ¹⁾).

De singulis vero versibus narrationis Marcanae haec observantur:

ad v. 21b: συνήχθη ὄχλος πολὺς his verbis introducitur primitiva scena de haemorrhoea sanata, ubi opus est turba copiosa.

ad v. 22: Mc habet nomen archisynagogi Ἰάϊρος quod deest apud Mt et desideratur etiam apud Mc in codice D. Supponitur ergo esse additamentum secundarium, serius factum, ex Luca decerptum et textui Marci insertum. In quo deprehenditur rursus ista propensio novellis propria ad nomina personarum invenienda. Eiusdem studii vestigia prostant alibi in Evangeliiis (v. gr. nomina sororum Lazari apud Iohannem cap. 11), sed frequentissima exempla invenimus in apocryphis, ubi imposita iam sunt nomina haemorrhoeissae (Veronica), Syrophoenissae eiusque filiae (Iusta et Bernice) et aliis ²⁾).

εἰς τῶν ἀρχισυναγωγῶν loco melioris τις est forstasse semitismus sicut et expressio:

in v. 35: ἔρχονται ἀπὸ τοῦ ἀρχισυναγωγῶ. Sed locutiones id genus tunc temporis poterant iam late usurpari in dialecto κοινῇ. Ideoque nullum exinde sumi potest argumentum contra hellenisticam demum originem narrationis ³⁾).

in v. 36: verba Iesu ad Iairum prolata: „Μὴ φοβοῦ, μόνον πίστευε“ non continent quicquam maioris momenti, referuntur enim ad fidem seu potius fiduciam infelicis patris

¹⁾ Cf. E. v. D o b s c h ü t z, Zur Erzählerkunst des Markus, ZNW 27 (1928) 195 sq, ubi laudibus extollitur huius nexus momentum psychologicum.

²⁾ Cf. GST 230, 256 sq.

³⁾ Cf. GST 255.

- excitandam. En nobis nova nota genuinae novellae! ¹⁾).
- ad v. 37: Versus hic, qui de tribus discipulis, nempe de Petro, Iacobo, Ioanne facit mentionem, insertus est hoc loco *schematice* et quidem a redactoribus serioris aetatis, cum efformet minus aptam anticipationem verborum *καὶ τοὺς μετ' αὐτοῦ* quae demum in v. 40 occurrunt. Ipsa autem horum discipulorum conexio pertinet ad antiquissimam traditionem ²⁾).
- ad v. 41: Verba aramaica Graece transcripta ΤΑΛΙΘΑ ΚΟΥΜ vel — ut mavult Wellhausen — ΠΑΒΙΘΑ ΚΟΥΜΙ ³⁾ specimen sunt loci communis, qui nuncupatur a Schola *ῥῆσις βαρβαρική* utpote quo termino primus usus sit Lucianus ⁴⁾). In Evangelio vero citantur haec verba fortasse eo fine, ut thaumaturgis charismaticis ⁵⁾ primarum communitatum apta formula patrandi simile miraculum (Wunderrezept) suggeratur ⁶⁾).
- ad v. 43a: Verba Iesu, quibus prohibet, quominus notitia de resurrectione divulgetur, interrumpunt nexum cum sequentibus, ideoque procedunt a Marco redactore tamquam additamentum, quod a Schola vocatur *πραγματικὸν* tamquam inserviens scopo principali Evangelistae in factis vitae Christi conectendis. Ceterum prorsus incredibilis videtur Scholae fautoribus eius modi iussio, cum celari non posset factum tanti momenti ⁷⁾).

¹⁾ Cf. FGE 75.

²⁾ Cf. GST 228, 368.

³⁾ Cf. J. Wellhausen, *Das Evangelium Marci*, Berlin ² 1909, 41 sq.

⁴⁾ Cf. Philopseustes 9.

⁵⁾ de quibus loquitur Paulus v. gr. 1 Cor 12, 28. 30.

⁶⁾ Cf. FGE 81.

⁷⁾ *ibid.* 69 sq.

Elementa topicae haec occurrunt¹⁾: 1. citatur aetas quellae sanatae²⁾, 2. circumstantes risu dubium manifestant de effectu conaminis thaumaturgi, 3. thaumaturgus manu tangit mortuam, 4. idem profert verbum thaumaturgicum et quidem lingua ignota (ῥήσις βαρβαρική 5. effectus statim obtinetur, 6. veritas effectus ad oculos demonstratur, 7. circumstantes obstupefacti agnoscunt miraculum.

Praeterea *D i b e l i u s* peculiare quoddam motivum typicum novellarum videt in facto remotionis turbae profanae. Ex eius opinione minus recte a plerisque censetur haec iussio Iesu explicari studio occultandae missionis messianicae (vulgo: „secretum messianicum“) dum e contra adest hic quid proprium paganis epiphaniarum historiis (Epiphaniegeschichten), in quibus thaumaturgus divinitatis personam gerens, patrando miraculum viribus occultis, turbam profanam tali aspectu prorsus indignam sedulo evitat³⁾.

Haec omnia sunt plus minusve communia cum Graecis narrationibus, singularis autem omnino circumstantia in eo constat, quod Iesus vocatur ad puellam animam gerentem, sed invenit eam iam defunctam, et demum ad vitam revocat⁴⁾.

§ 3. De Lazaro (Ioh. 11, 1—46).

pauciora quam de resuscitationibus synopticis a Schola observantur. Generatim negatur omnino facti fides historica, nam apud Iohannem — ut opinatur *D i b e l i u s*⁵⁾ — „omnia sunt *m y t h u s*“, quae vox sumenda est sensu imaginis cuiusdam exprimentis ideam religiosam, imaginis iam ope theologiae

¹⁾ Cf. GST 229.

²⁾ Hoc elementum deest quidem in textibus antiquis supra allegatis, frequentissime tamen occurrit, in inscriptionibus Epidauri inventis, ubi videtur pertinere ad — ut ita dicatur — protocollon sanationis. Cf. supra citatum opus G. *D i t t e n b e r g e r*, *Sylloge Inscriptionum Graecarum*, Leipzig³ 1920, passim.

³⁾ Cf. FGE 91.

⁴⁾ Cf. GST 229.

⁵⁾ Cf. FGE 286.

reflexionis confictae. Etiam Georgius B e r t r a m vix credit narrationem res gestas referre, quamquam prae se fert fucum quendam levissimum (Anstrich) veritatis historicae. Mentio enim Lazari resuscitati, quae secundum Evangelistam impulerat Synedrium ad prompte agendum contra Iesum, manifestat potius peculiarem Iohannis propensionem, omnino — uti ait — legendariam, ad pessima quaeque imputanda principibus Iudaeorum simulque totam culpam damnationis Iesu ¹⁾).

Aestimatur tota narratio esse supremus gradus in augendo (Steigerung) elemento portentoso, quod inest resuscitationibus evangelicis: Lazarus non modo defunctus, neque funere portatus, sed a diebus quattuor in sepulcro depositus exhibetur. At gradus hic non reponitur a Schola in facto reapse maxime stupendo, sed in propensione ad fingenda magis magisque portentosa ²⁾).

Communi utriusque Scholae magistri consensu, qui inspirari videtur a nonnullis praedecessoribus ³⁾), admittitur Iohannes, seu strictius loquendo, Evangelista, usus esse quodam fonte scripto, a nonnullis auctoribus Protestantibus „σημεία-Quelle“ nuncupato, qui contineret novellas thaumatologicas de Christo, et deinde fontem hunc primarium pro suo scopo penitus transformasse ⁴⁾). Cuius studii vestigia in analysi patebunt ⁵⁾):

vv. 1—19: Iohannes sequitur „fontem“.

vv. 20—32: efformant partem dialogalem a Iohanne insertam, nam in „fonte“ de sororibus perpauca habebantur.

vv. 33—40: denuo e „fonte“ sunt excerpti, sed subierunt fortasse quasdam emendationes. Ita v. gr.:

¹⁾ Cf. G. B e r t r a m, Die Leidensgeschichte Jesu und der Christus-Kult, Göttingen 1922, 14.

²⁾ Cf. GST 243.

³⁾ Huc pertinent omnes, qui „fontium distinctionem“ (Quellenscheidung) tamquam methodum solvendi difficultates Quarti Evangelii adhibere conati sunt, uti: Fr. S p i t t a, J. W e l l h a u s e n, E. S c h w a r t z, H. H. W e n d t, W. S o l t a u, alii.

⁴⁾ Cf. FGE 88.

⁵⁾ R. B u l t m a n n, Das Evangelium des Johannes, Göttingen 1941 (Krit.-ex. Kom. über d. N. T. 2 ¹⁰, 308—313, praesertim; 310.

- vv. 35—37: sunt forte Iohannaei, utpote qui ideam Evangelistae praedilectam inculcent. Dum a contra:
- vv. 38 et 39: iterum pertinent ad „fontem“, quod patet ex indole novellis propria inculcandi τὸ παράδοξον miraculi; Iohannes enim indoli eius symbolicae potius insistere videtur.
- vv. 40 et 41: certo Evangelistae manum produnt, nam propria ei terminologia theologica id luculenter demonstrat.
- ad v. 45: observatur deesse narrationi propria novellis conclusio. Quod explicatur aut omissione illius conclusionis, quae forte adfuerat in „fonte“, aut transformatione in verba, quae nunc leguntur. Ultima verba Iesu post miraculum patratum nihil aliud demonstrant, nisi Lazarum re vera ad vitam codidianam revertisse ¹⁾.

Restat, ut elementa topicae in narratione occurrentia in unum colligamus: 1. nomina sororum Lazari textui inserta sentiuntur a Schola tamquam fructus iam memoratae proclivitatis ad multiplicanda particularia quaeque ²⁾, 2. probatur vera mors Lazari ope mentionis de Iudaeis consolantibus simul et plorantibus necnon de corruptione corporis iam incoepa, 3. veritas autem miraculi ex eo patet, quod resuscitatus potest ambulare ³⁾.

Haec fere sunt omnia, quae ad resuscitationes evangelicas singillatim adnotat Schola Historiae Formarum. Cuius obiectioes contra fidem historicam trium horum eventuum ex duplici, generatim loquendo, capite desumuntur, admissione scilicet variarum mutationum, quas subierat traditio oralis eisque posterior conscriptio, et suppositione originis simillimae atque Graecarum id genus narrationum, quod topica ipsa prodit.

Iam principiis et placitis Scholae expositis ad alteram transimus partem, in qua, quid censendum sit de ipsis, respondeamus necesse est.

C o n t i n u a b i t u r

¹⁾ Cf. GST 240.

²⁾ Cf. *ibid.*, 256.

³⁾ Cf. FGE 80, 89 sq.